



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

Mansuetudo eiusde[m] & comitas. Ca. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

nuam aurorum ad quadringentos;
quam tamen bonus ille Prior nequa-
quam admisit, ac cæteros item, quorū
beneficijs puocatus esset, eximio quo-
dam studio & obseruantia prosequu-
tus est.

Mansuetudo eiusdem, & comitas.
Cap. V.

AB omni fastu & moribus imperio
sis vehementer abhorruit. vesti-
gium in eo contumaciæ cerneret nul-
lum. & quod difficillimum est, lenita-
tem ita cum grauitate miscebat, ut ne-
que facilitas de auctoritate, neque se-
ueritas quidquam de suavitate detra-
heret. Parisijs per iocum inuitatus à
nobili quodam, vellet ne trudiculis lu-
dere (quibus in oblonga mensa per an-
gustum fornicem, eburnea pila traijci-
tur) Ego verò ludam, inquit Ignatius.
At enim qua sponsione, subiicit ille,
qui pecunia careas? Tum Ignatius: Hac
sponsione, respondit, vt certò vtique
dierum numero tibi deseruiam: verū-
tamen, arbitratu tuo, si viceris tu: meo,
si superior ipse discessero. Cum ea con-
ditio

ditio placuisset: Age sanè. in certamen descenditur. cumq; nihil minus calleret Ignatius , diuinitus factum est , vt in singulos omnino traiectus victor euaderet : subinde exclamante aduersario, se merito plecti, qui Ignatium prouocasset: seq; diuinum iudicium prorsus agnoscere. Peracto deinde certamine, victum victor ab inanibus curis & occupationibus, in aliquot dies abduxit. è sponsione, spiritualibus exercitationibus diligenter excoluit: torpen temque situ ac delicijs animum ipsius, ad salutarem Dei metum , æternæque vitæ cogitationem excitauit. Venetijs Patauium pedibus cum iter haberet, domestica, eaq; admodum attrita lacerna ob inopiam indutus , Iacobo Laine comite , pecuarius quidam puer, qui à via non longè armenta pascebat , conspectis eminus peregrinis, ad eos repente proprius aduolat ; habitusq; fortasse nouitate permotus, desixis procaciter in Ignatium oculis, cachinos tollere, eidemq; licentius cœpit illudere: cumq; Ignatius vultu placido substitisset ; conuersus ad eum comes:

mes: Quin, ait, acceleras gradum pater,
teque istius pueri petulantiae subtra-
his? Immò verò, inquit ille, cur pue-
rum oblata sibi præter spem hac tanta
oblectatione fraudemus? Itaque con-
sulto etiam diutius hæsit in ijsdem ve-
stigijs, ac se curiosius intuendum ridē-
dumque affatim proteruo adolescen-
tulo præbuit: plus nimirum ex hoc
qualicunque sui contemptu ac ludibrio
hauriens voluptatis, quām alij
ex vulgi plausu faustaqué acclamatio-
ne percipiunt. Atque hunc mansuetu-
dinis tenorem diligenter in omni vita
seruauit: ac satis constat, annis ipsis tri-
ginta, quibus Christum sequitus est,
neminem prorsus ab eo fuisse non mo-
do contumeliosè tractatum, sed ne
appellatum quidem acerbius. Si quid
præciperet, rogati erat propior quām
iubenti. Alloquendi vero eius causa
nihil erat necesse tempus opportunū,
aut molles captare aditus: qualibet
adijsses hora, siue corpore melius ha-
beret, siue deterius, prosperis aequè at-
que aduersis in rebus, & accipiebat be-
nignè, & patienter ad finem usque sine
in-

terpellatione audiebat , ac nullum quamuis infimæ fortis hominem stare coram se , nedum aperto capite patiebatur esse . nec modo ex destinato congressu , verum etiam ex occursu fortuito , fratres ita latet intuebatur oculis , vt vel ex hoc , insitam animo in omnes benevolentiam satis ostenderet . Amicos præterea , tum domesticos , tum externos interdum ad prandium aut cœnam , siue ut appellabat ipse , ad poenitentiam inuitabat , nec repudiabat si quis vlrro se offerret : quinetiam interuenientes cœnæ , vel in ipso iam exitu , nihilominus iubebat accubere , & frustula panis ipse carpendo , & simulanda appetentia , conuiuium cōsulto extrahebat , quoad nouissimus quisque sine rubore aut solicitudine , per otium absoluueret . Si quis ab eo quidpiam , sibi alijsve peteret , vel dabant hilare , verbis ctiam , quod aiunt , munus exornans , vel si abnueret , causas afferebat eiusmodi , vt ille fese contemptum nullo modo existimare posset . ac tanta ipsius erat in eo genere , vel efficacitas , vel suauitas , vt qui

ad

ad eum legati à quopiam venerant, cù
id quod volebant, minimè impetrar-
sent, Ignatij rationibus interdum ita
victi pacatiq; discederent, vt vltrò ipsi
mutata ratiōe, apud eos, à quibus missi
fuerant, ipsius causam pertinacissime
tuerentur.

*Grauitas eiusdem, & in custodia disciplina
seueritas. Cap. VI.*

AB hác porrò comitate, quemad-
modum austeritas, sic etiam leui-
tas omnis aberat & ineptiæ. Ita enim
compositus fuit moribus, vt nec ma-
num, vel oculum; menibrūmve ali-
quod sine causa & ratione moueret; &
in statu, incessu, accubatione, sessione,
decorū teneret. Iam in loquendo fuit
adeo consideratus & parcus, vt nullum
planè verbum nisi consultò ac medita-
to proferret, neq; figuris vel amplifica-
tionibus vtebatur, sed rei gestæ seriem,
& rationum momenta sine fuso expo-
nebat. qua simplicitate plus valebat in
persuadendo, quàm alij calamistris &
lenocinijs. De se ipso, deq; suis rebus,
nisi necessitas cogeret, vel Dei gloria
postu-